

Observationes in patres ecclesiasticos latinos.

I In Maximum Taurinensem. Maximo Taurinensis ecclesiae episcopo (Gennad. vir. ill. XLI) praeter satis magnum homiliarum sermonumque breviorum numerum tractatus nonnulli debentur¹, ex quibus IV contra paganos scriptus minus est ieiunus et aridus quam pleraque eius generis solent esse. Scriptus extat in editione Romana a. 1784 p. 721 sqq. editus e codice Veronensi 49 saeculi VII, unde parum diligenter descripsisse Morosinium Reifferscheidus *Bibl. patr. Ital.* I p. 103 testatur². Cum non pauca in codice temporum et aquarum invidia interierint, satis multae lacunae orationem incidunt. Invehitur episcopus in paganorum superstitiones eorumque deos deasque. Praeter Ciceronem (vide not. 2) ex Romanis scriptoribus Vergilium pluriens producit: p. 725 'nonne Vergilius vester poeta ille praecipuus, cuius carmina hodieque veneramini, sic clamat de Saturno dicens
arma Iovis fugiens et regnis exul adeptis (Aen. VIII 320),
unde et Latium de latebra eius nomen accepit, eo quod

latuisset tutus in oris (Aen. VIII 323),

id est fugiens in Italiae finibus latuisset. Et iterum ait

— Fauno Picus pater, isque³ parentem

Te, Saturne, refert, tu sanguinis ultimus auctor' (Aen. VII 48. 49); et p. 726 'unde Vergilius dixit

Cre[ta Iovis magni] medio iacet insula [ponto] (Aen. III 104)
. . . de criminibus . . . breviter commemorat dicens

— Iovisque

Et soror et coniux (Aen. I 46)

et 'rapti' inquit 'Ganymedis honores' (Aen. I 28).

¹ Tractatum de baptismo Gennadius l. c. hisce laudat verbis: 'specialem de baptismi gratia librum edidit'.

² Fragmentum ex Ciceronis Hortensio (p. 723) allatum sic in codice scriptum est: 'sicut ille aiebat Tullius in Hortensio dicens: avia mea dicebat hoc quod Stoici fato omnia fieri, mater autem mulier sapiens non existimavit'. Pro 'Stoici' Romana editio exhibet 'dicis' (Cic. Hort. frg. 103 ed. CFWMüller IV 3 p. 326). Reifferscheid l. c. p. 104.

³ In codice 'hisque'.

Notandus est praeterea locus p. 729: 'et invisibilem (deum) adserunt et omnium praepotentem, in quo praecipuus Sostenes formam huius mundi negat conspici posse et angelos veros sedi eius dicit adsistere, in quo et Plato pari ratione consentit et unum deum praedicans ceteros angelos vel daemones dicit. Hermes quoque Trismegistus unum deum fatetur eumque invisibilem atque incomprehensibilem confitetur'. Sosthenes duos novimus, alterum Pythagoreum Sicyonium (Iamblich. vit. Pyth. 267 p. 193 Nauck), alterum Platonis amicum (Diog. Laert. 3, 30), utrumque praeterea ignotum. Hermes Trismegistus qui ab Amm. Marc. XXI 14, 5 Termaximus nuncupatur, satis aliunde notus est. Ex patribus ecclesiasticis bis Cyprianum laudat: p. 725 'et ideo s. Cyprianus ad Demetrianum paganum bene dicebat: pudeat te eos colere quos ipse defendis, pudeat te de eis auxilium sperare quos tueris'¹; et p. 727 'sed si tunc nati sunt dii, cur non hodieque nascuntur, nisi forte, ut iterum s. Cyprianus dicebat, aut Iupiter senuit aut partus in Iunone deficit'². Gennadio teste 'fecit et duos de sancti Eusebii vita Vercellensis episcopi et confessoris tractatus et de sancti Cypriani'.

Subicio locos huius tractatus nonnullos, qui non bene traduntur. — p. 721 'et non putant Davidico lapide se facile posse prosternere'; lege 'prosterni'. — p. 722 'quibus primo breviter dicimus, velut uno aratro fidei et securae veritatis totam erroris eorum circum abscindimus et subvertimus silvam'; emenda 'securae' (securi); 'subvertimus' enim optime ad aratrum refertur, 'abscindimus' ad securim. Cfr. p. 721 'inimicos Christi veritatis iaculis ferituri et . . . supervacuas turres crebro ariete fidei prostraturi'. — Ibid. p. 722 'ego dico voluntate vel permissu dei fieri, quia deus pater omnia posuit in sua potestate et nihil fit quod dominus ipse voluerit vel fieri posse permiserit'. Aut legendum est 'noluerit', aut alio loco inserenda negatio. — p. 725 'colunt adhuc pagani montes et arbores et fontes et flumina, ubi et boves et oves et universae bestiae pascuntur et ambulantes atque labantur'. Lege 'lavantur'. — p. 726 'deos . . . di]citis filios et filias genuisse, quod non ex legitimis nuptiis, sed de

¹ Cyprian. ad Demetrianum cap. 14 'pudeat te eos colere quos ipse defendis, pudeat tutelam de iis sperare quos tu tueris' (p. 361 Hartel, ubi deest Maximi testimonium).

² Non inveni in scriptis Cypriani; cf. Iuven. 6, 59 'adeo senuerunt Iuppiter aut Mars?'

nefandis incestis et adulteriis, sicut et ipsi nati sunt. Adhuc autem non erubescitis et Solem dicet (*leg. dicitis*) filiam habuisse et Lunam amasse Dyndymionem (*leg. Endymionem*) . . . sicut et Saturnum dicitis filium Caeli et Iovem eius filium iterum dicitis vel potius mentimini Minervam ex capite genuisse [et Bacchum *vel* Liberum patrem ex] femore et multa alia¹.

In eiusdem tractatu V contra Iudaeos, qui non minus lacunis laceratus est, p. 737 lego: 'et illud considera quod scriptum est de Abraham, quia (*trad. qui*) apparuit illi deus ad quercum Mambre'; et infra p. 738: 'si enim hoc aliquantis avibus dedit, ut de vento aut de pulvere concipiant sine maribus et generent (*trad. cernerent*), quanto magis ipse sibi' e. q. s.².

II In Ambrosium. Enarr. psalmi XXXVII § 9 editores Maurini legunt 'audi quemadmodum virtus draconis ipsius conteratur'. Ea quae praecedunt 'conteras eius (scil. serpentis) venenum corpusque comminuas' et 'sic conteritur eius venenum, si te tua facta compungant: sic omne virus eius aboletur, si bonis operibus tegas' videntur suadere ut 'virtus' mutetur in 'virus'.

De Tobia 1, 3 'meruit edictum, ne quis ex filiis captivitatis mortuum sepulturae daret'. 'Meruit' vix recte se habet. Latini coniecturae 'metuit' sensum refragari Maurini viderunt, secuntur enim haec 'at ille interdicto non revocabatur magis quam incitabatur, ne deserere officium pietatis mortis metu videretur'. Ballerinius novissimus editor Mediolanensis 'manavit' proposuit, quod longius a litteris recedit nimisque vagum est. In mentem venit 'vetuit'.

Epist. 6, 7 'hortabatur ad laetitiam senior et frequentioribus provocabat poculis, ut vino aboleret curarum obliviam'. Aut mutandum est 'aboleret' in 'admoveret', 'adduceret' sim. (cf. Hor. Sat. II 6, 62 ducere sollicitae iucunda obliviam vitae), aut 'obliviam' corruptum est, ita ut cogitari possint 'curarum gravia' vel 'edacia' sim³. Saepissime autem Ambrosius adiectivum neutr. pro sub-

¹ Extat alterum eiusdem tractatus apographon in eodem codice a Morosinio ad supplendas lacunas adhibitum, quod quam sit utile Reifferscheidus *Bibl. patr. Ital.* I p. 103 docet exemplo luculento.

² Cfr. Plin. n. h. X 60, 166 'inrita ova quae hypenemia dicimus aut mutua feminae inter se libidinis imaginatione concipiunt aut pulvere . . . quidam et vento putant ea generari'. Varro r. r. II 1, 19 'quaedam e vento concipiunt certo tempore equae'.

³ Audacius fuerit 'curarum nubila' vel etiam 'obsidia'.

stantivo adhibet velut 'plana camporum' 'alta montium' (Hexaem. VI 6, 37), 'dura saxorum' 'nemorosa silvarum' (de exc. Sat. II 64) al., sed non minus vox abolendi Ambrosiano sermone digna videtur¹, ut difficile sit dictu utra vox, 'aboleret' an 'oblivia', sit pessumdata.

Epist. 67, 5 'studebat autem Moyses peccati vacuam reperire animam, ut exuvias erroris deponeret et nuda culpa sine ullo sui pudore discederet: sed non invenit, quia cito impetus irrationabilis praevenit et flamma quaedam celerrimi motus animam depascitur atque exurit eius innocentiam; praeponderant enim futuris praesentia et violenta moderatis et plura potioribus et iucunda seriis et asperis mollia et tristibus laeta et illecebrosa rigidioribus et praepropera tardioribus'. Mutuatus haec est episcopus ex Philonis libro περί φυγάδων, ubi p. 569 M. haec leguntur: Ἐσπούδαζε γὰρ ἀνευρεῖν ἀπαμπισχομένην τὸ ἀμαρτεῖν ψυχὴν καὶ ἄνευ αἰσχύνης γυμνὴν προιοῦσαν ἀμαρτημάτων. Ἄλλ' ὅμως οὐχ εὗρε τῆς φλογός, λέγω δὲ τῆς ὀξυκινήτοτάτης ὀρμῆς ἀλόγου καταδραμούσης καὶ τὴν ὅλην ψυχὴν ἐπινεμηθείσης. Νικάται γὰρ τὰ μὲν ἐλάττω πρὸς τῶν πλειόνων, τὰ δὲ βραδύτερα πρὸς τῶν ὠκυδρομωτέρων, τὰ δὲ μέλλοντα πρὸς τῶν παρόντων. Iuvante igitur Philone scribe 'paucioribus' pro 'potioribus' (ἐλάττω πρὸς τῶν πλειόνων).

III In Paulinum Nolanum. Minor quam in poematis Paulinus episcopus Nolanus in epistulis est quinquaginta servatis, quae refertae sunt sententiis ex litteris sacris sumptis orationemque saepe turgidiorem satisque inflatam exhibent. Sed ne in his quidem vestigia latent, quae litteris antiquis, latinis maxime, imbutum eum prodant, etiamsi, ut fere mos est patrum sanctorum, spernendi eas speciem prae se fert. Graecae linguae se parum peritum esse queritur in epist. 46 ad Rufinum data § 2: 'Sane quod admonere dignaris affectu illo, quo nos sicut te diligis, ut studium in Graecas litteras attentius sumam, libenter accipio: sed implere non valeo, nisi forte desideria mea adiuvat

¹ Cfr. 'abolere errores' Hex. V 25, 89; 'abolere peccata' de spir. sancto I prol. 3. Hex. V 23, 79. De ob. Val. 5 etc. In Expos. ev. Luc. V 91 Maurini habent 'quamvis svorema mortis spem vitae omnis aboluerint'; scribendum aut 'aboleverint' (cfr. ibid. VII 116. 147) aut 'abluerint'. Nam ut 'abolere peccata' legitur de spir. sancto I prol. 3, ita 'abluere peccatum' ibid. I 15, 151 (cfr. Epist. 19, 2 'culpam abluit' al.).

dominus, ut diutius consortio tuo perfruar. Nam quomodo perfectum capere potero sermonis ignoti, si desit a quo ignorata discam? Credo enim in translatione sancti Clementis praeter alias ingenii mei defectiones hanc te potissimum imperitiae meae penuriam considerasse, quod aliqua, in quibus intellegere vel exprimere verba non potui, sensu potius apprehenso vel, ut verius dicam, opinata transtulerim'. Eidem viro docto debet quae Ep. 40, 6 de nycticorace exponit: 'Quod autem nycticorax scriptum est, nycticoram esse verius asserebat idque probabili ratione videtur ostendere, cum illam avem hoc loco positam diceret quam appellamus noctuam, quia secreto noctibus cantus exerceat et volatus et obscuritate tenebrarum, qua fere cuncta caligant animalia, luminetur¹: unde nycticora aptius quam nycticorax dicitur, quia nycticorax nocturnus corax interpretatio est, nycticora autem nocte videns, eo quod pupilla oculi κόρη a Graecis vocetur'. Ep. 28, 5 Rufinum 'et scholasticis et salutaribus litteris Graecae iuxta ac Latine divitem' dicit. Quae verba admonent loci Sallustiani Iug. 95, ubi Sulla 'litteris Graecis atque Latinis iuxta atque doctissimi eruditus' vocatur. Fortasse igitur subest imitatio Sallustiana, sicut in Epist. 5, 17 factum videmus, ubi verba 'servientes enim Christo corporis servitio, animi imperio magis utimur' ad Sall. Cat. 1, 2 revocanda sunt². Terentianarum

¹ Cfr. cum his Ambr. Hex. V 24, 86 'noctua ipsa quemadmodum magnis et glaucis oculorum pupillis nocturnarum tenebrarum caligantem non sentit horrorem et quo fuerit nox obscurior eo contra usum avium ceterarum inoffensos exercet volatus'. Paulinum sapius Ambrosiana in suum usum vertere iam veteres editores viderunt. Epistulae 23 (§§ 23. 32. 36. 37. 45) satis multa inseruit auctoris nomine non addito ex Ambr. Exp. ev. Luc. libr. VI; Rosveydus locos composuit. Ep. 15, 4: 'nec iam modico vino, quo non venter distenditur, sed cor laetificatur, inebriari ad sobrietatem, spiritali crapula ructantem deo hymnum', cfr. Ambros. de fide I 20, 135: 'ex hoc ergo botryone est vinum (*cditt. ante Maur. et ms. nonnulli* poculum) quod laetificat cor hominis, sobrietatem inebriat, crapulam fidei et verae religionis exhalat, crapulam castitatis infundit'.

² Etiam alias locutiones ex Sallustio videtur mutuatus esse velut 'noctu diuque' (Ep. 18, 5), cfr. Sall. Iug. 38, 3; 44, 5; Hist. frag. II 63; 'hiems nuda nascentium' (Ep. 9, 3), cfr. Iug. 79, 6 (Ihm, *Studia Ambros.* p. 65); 'canina facundia' Ep. 5, 6, cfr. Nonius p. 60 M. 'inde et Sallustius: canina, ut ait Appius, facundia exercebatur': ad eundem Sallustii locum respiciunt Quintil. XII 9, 9 'ea est enim prorsus canina, ut ait Appius, eloquentia' e. q. s., Hieron. epist. ad August. 'procedunt in publicum, ut caninam exerceant facundiam', Lactant. VI 18, 26 'sed

fabularum memoria hisce deprehenditur locis: Eunuchi Ep. 22, 2 'ego flatum Thrasonis ructantis effugio'; Adelporum Ep. 7, 3 'paucis tamen et ad ipsum loquamur, ne neget sibi scriptum quod de se tibi scriptum est: Aeschino enim dicitur quod audit Micio'; Heauton timorumeni (I 1, 25) Epist. 13, 20 'non enim sibi habentes habebant, sed nemo quicquam dicebat suum et humani nihil a se alienum putabant'. Plura extant Vergiliana. Inspicienda imprimis est Ep. 22, 3 (ad Sulpicium Severum): 'Denique meministi in Vergilio Furiam iis laudari quae solent obici. Vide autem ne mihi calumnieris, quod aliquid de poeta non nostri iam studii, tamquam propositi violator assumpserim: exempli tui auctoritate hoc me fecisse contestor: teneo enim epistulam tuam, cui clausula est *Vivite felices quibus est fortuna peracta*' (Aen. III 493). Adicit haec: 'sed et illam, in qua pro domestica sede larem familiarem, Plautini memor prologi, nominasti'. Dicit autem Aululariam Plautinam. Exempla igitur imitationis Vergilianae haec subicio¹.

Ep. 17, 4 'non invideo, praedico magis devotionem tuam in domino, quam in servis suis admiraris et honoras'.

Ep. 49, 7 'aurem vellit ut somnum corporis excuteret'; 49, 3 'vellicata blande auricula suscitavit'; 49, 14 'cui Christum aurem vellicasse, nomen imposuisse reputaveris'.

Ep. 39, 1 'nam ut in rebus terrenis carior fundus est, qui aut avaris agricolae sui votis profua ubertate respondet'.

Ep. 13, 24 'si agricolam iuvat spem messis in segete mirari, dum a messe fructum laloris expectat'.

Verg. Ecl. 1, 11 'non equidem invideo, miror magis'.

Eclog. 6, 3 'Cynthius aurem vellit et admonuit'.

Georg. I 47 'illa seges demum votis respondet avari agricolae, bis quae solem, bis frigora sensit'.

Georg. I 103.

quia ipse caninam illam facundiam, sicut Sallustius ab Appio dictum refert, exercuit', Isidor. de summo bono 3, 60 'antiqui forensem eloquentiam caninam facundiam nuncupal ut, eo quod causidici in certaminibus causarum omissis quae agunt soluti canes alterutrum se latrent'.

¹ De Vergiliana Paulini in carminibus imitatione cf. Zingerle Zu spät. lat. Dichtern II p. 47 sqq.

Ep. 44, 2 'famem suam praeteritae saturitatis recordatione solantur'.

Georg. I 159.

Ep. 38, 6 'qui si . . . seque vel paullulum humo tollerent' e. q. s.

Georg. III 8 'qua me quoque possim tollere humo'.

Ep. 16, 10 'spem inter ac metum semper ambiguis affectionibus pendens'.

Aen. I 218 'spemque metumque inter dubii'.

Ep. 3, 5 'spiritum aerae vitalis hausisse'; Ep. 44, 7 'quibus auras vitales afflantibus'.

Aen. I 387 sq.

Ep. 4, 3 'sequor igitur non aequis adhuc passibus magna iustorum vestigia'.

Aen. II 724 'sequiturque patrem non passibus aequis'.

Ep. 49, 2 'vacua omnia, mare undique et undique caelum vidit'.

Aen. III 193 'caelum undique et undique pontus'.

Ep. 31, 5 'antiquitas aevi'.

Aen. III 415 'aevi longinqua — vetustas'.

Aen. III 493.

Ep. 22, 3 'teneo enim epistulam tuam cui clausula est: vivite felices quibus est fortuna peracta'.

Aen. IV 188 'tam ficti praeque tenax quam nescia veri'.

Ep. 16, 10 'tam falsi praeque tenax quam nescia veri'.

Ep. 18, 4 'quam barbaris fluctibus fremens tundit oceanus'.

Aen. V 125 'quod tumidis submersum tunditur olim fluctibus'.

Ep. 4, 2 'quia hostis noster, cui mille nocendi artes, tam variis expugnandus est telis'; Ep. 24, 13 'excipit nos innumeris anguis insidiis, cui nomina mille, mille nocendi artes'.

Aen. VII 337 'tibi nomina mille, mille nocendi artes'.

Ep. 3, 4 'peto . . . ut pro hac historia temporum¹ referas omnem tuae sanctitatis historiam, ut qui genus, unde sis domo' e. q. s.

Aen. VIII 114 'qui genus, unde domo?'

¹ Dicit Chronicon Eusebii; cfr. § 3: 'ut iusseras providi illam

Ea quae dicit Ep. 16, 4 'nam certe divinae potestatis est elementa turbare ventorumque violentiam vel excitare positam vel incitatam refrenare et furoribus tempestatum vel dedere vel eripere mortales' nescio an spectent ad Verg. Aen. libr. I, ubi de Aeolo Neptunoque eorumque in mare ventosque potestate verba facit (cfr. vv. 51—54. 63. 66).

Ceterum raro occurrunt apud Paulinum antiquorum scriptorum nomina. Tullium, Demosthenem, Xenophontem, Platonem, Catonem, Varronem Ep. 16, 6 perfunctorie commemorat, 'quorum nos forte nec nomina, tu [Iovius v. c.] etiam volumina tenes'; ibid. § 4 ad Platonis librum X de republica revocat ('Platone etiam delirante narratur').

IV In Marium Mercatorem. In libro subnotationum in verba Iuliani quem vocavit Garnerius¹, conscripto a Mario Mercatore contra Pelagianos² haec p. 10 Baluz. (Migne 48, 130) leguntur notabilia: 'Quis scaenicus turpio, quis durio vel sannio professae licentia turpitudinis publice ista proferret? Te matronae castae, te honesti et ornati viri legant? Sed si honestatis sint memores et pudoris, exhorrebunt et velut monstruosam viperam, ut fertur hydra fuisse, diffugient'. 'Durio' vide ne idem sit ac 'Dorio', nomen graecum satis frequens (Δωρίων)³; appellatur

Eusebii venerabilis episcopi Caesariensis de cunctis temporibus historiam. Sed in hoc fuit obtemperandi mora quod instructu tuo, quia ipse non haberem hunc codicem, Romae repperi apud parentem nostrum vere sanctissimum Domnionem'. Cfr. etiam 28, 5.

¹ In codice Palatino saec. IX/X (Reifferscheid Bibl. patr. I p. 294) inscribitur 'commonitorium lectori adversum haeresim Pelagi et Caestii vel etiam scripta Iuliani a Mario Mercatore servo Christi'.

² Post mortem Augustini (a. 430), cuius discipulus erat Mercator; cfr. p. 3 Baluz. (p. 116 Migne): 'Tunc contra pueriles ausus eius sanctae recordationis Augustinus episcopus diversis temporibus diversos condidit libros' e. q. s. et p. 4 (p. 119 Migne): 'Sanctus tamen saepe dictus episcopus Augustinus sex suis libris quattuor illius priores avertit, octo quoque posteriores singulis responsionibus suis ad singula capitula subiectis, sic vanos eius ac plumbeos pugiones [cfr. Cic. de fin. IV 18, 48; Marius Merc. p. 30 Baluz. 'scies te gentilibus et Iudaicis ex omnibus libris tuis arma ministrare, sed sane plumbea'] malleo catholicae veritatis obtudit, immo contudit'. Augustini epist. 193 ad Mercatorem data est.

³ Dorionis rhetoris graeci a Seneca saepius laudati (Suasor. 1, 11; 2, 11; Controv. I 8, 16; IX 2, 15; X 5, 23) nomen Suasor. 2, 22 Durio

autem ita persona lenonis in Terentii Phormione, item 'Sannio' leno in Adelphis occurrit. De Ambivio Turpione, actore illo scaenico Terentii, vix est quod moneam. Nomina igitur illa tamquam ad significandum mimorum vel scaenicorum genus videntur adhibita esse, similiter atque 'sannio'. Certe voces 'turpio' et 'durio' recte traditae sunt neque quicquam in illis mutandum, quod voluerunt nonnulli¹. Baluzius in eis acquievit, quae Ducangius in glossario protulerat².

Alterum eiusdem scriptionis locum affero. hunc p. 9 sq. Baluz. (Migne p. 126): 'Erubescere, infelicissime, in tanta linguae scurrilis vel potius mimicae obscenitate. Vulgares tu dignus audire acclamationes: unus tu, unus Philistion, unus Latinorum Lentulus, unus tibi Marullus comparandus; namque Martialis et Petronii solus ingenia superasti'. Nomina mimographorum illorum Hieronymo debere videtur Mercator, ut iam Baluzius et post illum Hauptius (Herm. I p. 43) animadverterunt³. De Lentulo et Marullo pauca a scriptoribus traduntur; Tertullianus de pallio 4 Lentulum mimographum in 'Catinensibus' laudat⁴. Petronii Martialisque mentionem Mercator paullo infra (p. 11 Baluz.) iterum facit hisce verbis: 'Eleganter scurra loqueris more tuo et more quo theatrum Arbitri Valeriique detristi'. Ait Garnerius se non legisse aut Petronium aut Martialem comoedias edidisse itaque haec verba spectare ad istorum hominum libros et praesertim ad primum Martialis, qui ab amphitheatro nomen acceperit. Contra quem recte Baluzius rhetoricari hoc loco Mercatorem dicit et nomen generale huc transtulisse, quo usus sit etiam Martialis in praefatione libri primi: 'Non intret Cato theatrum meum, aut si intraverit, spectet'.

Praeter illos Mercator ex scriptoribus romanis bis Persium laudat p. 15: 'Haec sunt nempe magisterii vestri magnifica scita,

in libris scriptum extat. In titulo sepulcrali, qui servatur in museo Samarobriuae Ambianorum, nomen militis est VAL·DVRIO; cf. E. Desjardins, Revue archéol. 1880 vol. XL p. 325 pl. XXI 5. Sed hic fortasse est nomen gallicum.

¹ Garnerius et Wesselingius; v. Migne 48, 129 adnot.

² 'Durio, qui dura est et perfricta fronte, impudens'; 'turpio, qui turpia loquitur'.

³ Advers. Rufin. II 20 'et quasi mimum Philistionis vel Lentuli ac Marulli stropham eleganti sermone confictam'.

⁴ Ribbeck Comic. Rom. fr.² p. 393. De Marullo Hauptius l. c. testimonia composuit.

haec eruditionis, ut dicitis, christianae. Sed nos christiani non dicimus dogmata veritatis? Ad populum phaleras. Ego te intus et in cute novi¹. Quid tibi prodest, ut idem poeta ait, astutam vapido servare in pectore vulpem?². Ego te sane effossis tortuosissimis et fetidis foveis tuis diligenti investigatione in lucem pertraham christianis populis exponendum'. Ex Iuvenale auctoris nomine non addito haec affert (p. 5) 'medio ceras implere capaces quadrivio'³. De Iuliano, contra quem liber scriptus est, Sallustianis utitur verbis p. 31 (Migne 48, 162): 'at tu aliud clausum in pectore, aliud promptum habens in lingua, novus atque egregius disputator, id nunc in isto opere tuo post tam longum tempus elaborato in Cilicia ingeris'⁴; et p. 39 (Migne p. 172): 'tibi que de toto sermone tuo, quem summam esse eloquentiam iactas, magis illud competere aptiusque quam de quo dictum est iudicabit: satis eloquentiae, sapientiae parum; vastus animus immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat'⁵. Quibus haec subiungit Horatianisque librum non male concludit: 'De sensibus autem tuis, quibus vagus ac vanus attolleris, alterius prudens saeculi ore pronuntiabit tibi que coaptabit dictum hoc: parturisse te montes, unde nasceretur ridiculus mus'.

Bonnae.

Maximilianus Ihm.

¹ Pers. 3, 30.

² Pers. 5, 117 ('servas').

³ Iuv. 1, 63.

⁴ Sallust. Cat. 10, 5 'ambitio multos mortalis falsos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere'.

⁵ Sallust. Cat. 5, 4.